

N. 2. 78 L 1637 [21]
ORATIO IN AVGVRALIS
DE
COMMODIS EX GYMNASIO
IN
ACADEMIAM REDVNDANTIBVS,

IN
INTRODVCTI ONE
SOLLEMNI

CONNECTORIS, TERTII ET QVARTI
COLLEGARVM GYMNASII HALLENSIS,
NIMIRVM

5
IOANNIS HEYNII,
IOANNIS GODOFREDI TAVSTII,
ET
IOANNIS GEORGII KIRCHNERI,

D. V APRILIS, CICCCXXXVI

IN AUDITORIO PRIMAE CLASSIS
PVBLICE HABITA

A
FRIDERICO AVGVSTO TENZELIO,
CONSILIARIO REGIO, SENATVS AC CIVITATIS HALLENSIS SYNDICO,
ET GYMNASII SCHOLARCHA.



Kassel 78 L 1637 [21]

X304 7852 AK



AUDITORES ORDINVM OMNIVM HONORATISSIMI,

TVQVE PRAEPRIMIS STVDIOSAE IVVENTVTIS
FLORENTISSIMA CONCIO, PARENTVM EX-
SPECTATIO, PATRIAE SPES, NOSTRAE
DELICIAE ET GAVDIVM.



EMINISTIS, credo, meminisse certe ex hu-
iis gymnaſii luctu poteſtis, eius temporis,
quo morte prematura IOANNIS CHRI-
STIANI FELSCHII, et diſcesiū inopinato
GODOFREDI KRAVLII huic lyceo acer-
bissimum iſſictum eſt vulnus. Horum vi-
rorum piorum et de re litteraria optime me-
ritorum obitus lugebat SENATVS ampliſſimus,
qui obſequentiſſimos non modo
ciues, ſed et diligentiſſimos huius lycei
praeceptores amiferat. Lugebatis et vos, huius GYMNASII MODE-
RATORES, non collegas modo facilimmoſ et ſuauiſſimoſ, ſed fratreſ
cordatoſ, qui ſine vila liuoriſ ſuſpicione amore in omnes æqualiter diſpen-
ſabanteſ. Vos præcipue, ADOLESCENTES OPTIMI, deplora-
batiſ viroſ, qui fidem et induſtriam in expoliendis et conformati-
dadiſ vestriſ ingeniiſ plane ſingularem adhibuerunt. Veſtra calamitas me mouebat, et
non ſine animi perturbatione vehementer deſlebam fortunas veſtrās, quum
vos præceptoribus induſtriis orbatos conſpicere. Vbi aut quando pareſ
FELSCHIO et KRAVLO magiſtroſ reperierteſ? mecum reputabam. Sed
ſummi NVMINIS prouidentia atque SENATVS ampliſſimi EPHO-
RORVM que ſpectatiſſimorū cura effeđum eſt, vt, poſt aliquam temporis
mo-

moram, ac post nonnulla, quæ intercesserunt, impedimenta, more maiorum electi, et a SENATV amplissimo, gymnasii huius patrono, vocati et confirmati sint viri elegantiorum litterarum nitore et morum suavitate conspicui. Hi ita nobis commendati, videntur nostri moeroris hoc die finem attulisse. Quum autem ex SENATVS amplissimi auctoritate sollemniter a me *inaugurandi*, et ex consuetudine, mulcis retro annis recepta, publice in hoc loco verba facienda sint; breuibus *DE COMMODIS EX GYMNASIO IN ACADEMIAM REDVNDANTIBVS agam*: suam deinde recens constitutus *CONRECTOR* addet orationem *DE COLLAPSIS MEDIO AEVO LITTERARVM STVDIIS*. Denique hic actus *precibus, piis hymnis et gratulationibus* finietur.

NON expetetis, AUDITORES SVIS QVISQVE ELOGIIS CONDECORATISSIMI, verborum ornatum et aptam argumentorum dispositionem; ea enim, quæ dicendi magistri in oratore desiderant, vti præsertim est non intermissa dicendi consuetudo atque exercitatio plane mihi desunt. Foro enim quum ego quotidie adfixus, et concatenatis laboribus publicis semper occupatus sim, raro mihi ea contingit felicitas, ut aures forensi strepitu defessas elegantiorum litterarum suavitatibus recreem. Quare quum aliqua commemoro, quæso vos pro singulari humanitate vestra, vt orationi meæ patientes aures adcommodetis.

ADMIRABILI natura instituto magna ingeniorum studiorumque *varietas* datur. Nam quum singuli sua videantur commoda animique propensionem sequi, omnes tamen communitatí generis humani seruunt, etiam inscii et inuiti, si arti libero homine dignæ sint dediti. Sunt, qui *celestis doctrinæ* sacrorumque monumentorum, quæ adflatu diuino concitati viri considerunt, intelligentiae se totos tradunt. Alii *iuris legumque*, quibus res publica continetur, prudentia inuigilant. Nonnulli *salutaribus artibus*, pestes morbosque corporis sanandi, student. Multi suas cogitationes et operam conferunt aut ad abditas *rerum naturalium* causas inquirendas, ad motus siderum obseruandos, ad orbes celestes terræque fines metiendos; aut ad disciplinam disserendi, et subtiliter verum ad amissim rectæ rationis limandi, aut ad excolandam viuendi artem, aut ad scientiam respuplicas condendi, aut conditas seruandi.

HAECCG STUDIA quum mira sciendi cupiditate hominum generofas mentes ita inflammat, ad *academias*, in quibus hæc docentur, iuvenes quotidianè conuolant, vtque hisce ad sui vtilitatem et reipublicæ decus informentur, flagitant. Sed dolendum sane, inter hos dari multos, qui eas litteras in pueritia non imbiberunt, quæ omnium doctrinarum fundamentum sunt. Vnde fieri solet, vt sine fructu et laude eas tractent, quum nesciant, quæ via

sequenda sit, ut gloriam et utilitatem ex lucubrationibus suis consequantur. Neglecto grammatico et linguarum in scholis studio, nec docentes intelligunt, nec, quid in optimis libris continetur, sciunt. Non me fugit, iam existimis eruditos, qui omnia studia, quae in scholis traduntur, atro notarint carbone, et iuuentuti ea amplectendi disuaserint. Hi prouocant ad **SCALIGERI** de grammaticorum grege elogium:

Plus panitet me temporis, quod impendi
In grammatis, et leues locutores,
Vanas poetarum atque perditas nugas,
Quam barbarorum, quae leguntur in libris.
Hec est mearum tota summa summarum:
Sultum ac supinum plumbeique delirii est,
Rebus relatis confusescere in verbis.

Quis hic non vider, virum eruditum non vsum, sed abusum damnare? Ridendum sane foret, si quis id vincere per omnem vitam ageret, ut modo syllabam, numquam de republica male meritam, in exsilium mittaret; modo ab alio cieſtam ac veluti deportatam in integrum restitueret, et ita vitam hisce nugis consumeret. Imperator **MAXIMILIANS**, adnotante **JOANNE CUSPINIANO**, dixisse fertur: *Si hodie preceptor meus PETRVS viuveret, efficerem, ut imperite institutionis illum peniteret.* Forte hic ludi magister ex grammaticorum grege fuit. Super vacaneum duco, in laudes grammaticæ excurrere, vobisque eius utilitatem et vsum multis rationibus demonstrare: poesin, historiam, ceteraque studia sine ope grammatica numquam recte addiscimus. Quapropter gymnasia et scholas optimi maiores nostri instituerunt, in quibus hoc studium et alia necessaria ad vitæ ornatum et utilitatem facientia florerent, vt ex iis iuvenes preparati et bonis artibus instructi ad academias non sine insigni fructu profici queant.

Quemadmodum diligentissimi solent agricultæ, priusquam semina proiiciant, terram confundere aratro, vepres adurere, slices remouere, fulcos omni diligentia premollire, vt quam optime grana foueantur: ita iuuentutis moderatores adolescentium animos, si quid in eis fortasse vitii reperiatur, prius repurgant, deinde ad percipienda liberalium artium semina præparant, vt fructum in academiis et in omni vita genere vberimum et amplissimum adferant. Præterea tradunt artem, qua in artibus humanis omnium princeps est, artem scilicet *vitæ recte et sapienter instituendæ*. Quam qui ignorat, licet omnem arcana sapientie doctrinam possideat, in vita tamen agenda perinde hallucinabitur, ac si in obscuro et inuio, nullisque trito hominum vestigiis falso obserret, vt saepius, ubi sit et quo se ferat, dubitet, saepius impingat, saepius

pius in abrupta deducatur, non raro specie veri virtutisque aut se ipsum fallat, aut ab aliis fallatur. Ut enim subtractionis atque nauigii fundamentum stabile atque firmum esse oportet, alioquin in aedificio, quidquid superstructum fuerit, drepente corruit; nauigium autem vitiatum fundo facile mergitur: ita nemo in aliqua liberali arte progressus facere potest exoptatos, nisi prius hac arte bene percepta. Egregie falluntur illi, qui, arte hac neglecta, ad academias properant; magno enim in periculo sunt, ne sirenū, id est, volupratum blanditiis decepti, et a recto itinere abducti, in vada et scopulos deferantur.

T A C E O summorum poetarum lectiones, quae in gymnasii quotidie instituuntur. Quid illis iucundius? in quibus et clarorum hominum laudes et improborum vituperationes, belli togæque præcepta utilissima, et locorum amoenissimas descriptiones videre licet. Qui in iuuentute poetarum optimorum lectioni sedulo vacarunt, ad altiora pergentes in legendis auctoribus ecclesiasticis, iuridicis, medicis, philosophicis, faciliter eos intelligent, quam qui horum cognitione destituti sunt. Scimus enim omnes, quantum lucis omnibus fere disciplinis per poetarum scripta assutum sit. Mitto hoc loco de *bistoria* multa disserere, de qua verissime **CICERO** pronuntiavit, quod sit *testis temporum, lux vetustatis, - - vt, si quis neciat, quid, antequam natus sit, acciderit, is semper puer esse videatur*. *Quid enim est ætas hominis, nisi quum memoria rerum veterum cum superiori ætate contextur?* Quis igitur, si integer sit animi, putet, illum, qui iudicio **CICERONIS** semper puer est, virum doctum et consummatum posse euadere?

Q Y A M V I S cetera, quæ non attigi, *humanitatis studia*, quæ in gymnasii instillantur, sua laude haud careant, vitæque academicæ inferuant: tamen *pietas* studium omnia antecellit. Hæc pietas mentis nostræ est clarissimum lumen, vitæ humanae præcipua moderatrix. Quam enim sine hac obscura, quam rudit, quam imperfecta, quam denique calamitosa esset hominum vita! Hanc itaque tota mente atque animo semper colamus, hanc omni studio prosequamur.

P O N I T E vobis ante oculos, **A V D I T O R E S O R D I N V M O M N I V M H O N O R A T I S S I M I**, iuuenem pietate humaniorumque litterarum scientia ornatum. Quis non placidos eiusmodi adolescentis mores, et pæne maturam in florenti ætate prudentiam exosculetur? Quis non tam iuuenem admiretur, qui nulla proteruitate, nulla petulantia, nulla libidine trahatur ad dedecus; sed ad studium virtutis et honoris inflammatus, nullam iucundiorem aut beatiorum vitam esse iudicet, quam in optimis disciplinarum artibus ætatem suam conterere? Annon ille iuuenis amandus? nonne summis laudibus extollendus? Quantum commodum ex vita, moribus, scientiis huius iuuenis in gymnasio antea formatis non percipiet academia? Collegia

sedulo frequentabit, ad ea se præparabit, omne, quod ad augendam doctrinam facere ipsi videbitur, omni studio, cura diligentiaque prouidebit, ne quid omnino committat, quod sibi vitio verti possit.

CONFER huic effrenatum alium adolescentem, multis vitiis disfluentem, inhumanioris intemperantia fordes inuercundo omnino abusu feruilem cuiusdam libertatem accumularem, quem neque ratio, neque existimatio populi, neque leges sapienter instituta possunt a turpitudine reuocare, qui spreta religione, contemptis disciplinis, corporis voluntatem saltē sequitur. Quanta incommoda talis sanx rationis hostis academiis adserat, quotidiana loquitur experientia.

SED nos quasi desperatos illos relinquamus, qui omnis veræ laudis expertes nihil, quod vtile sit, audire, nihil discere desiderant. Vobiscum mihi sermo est, *egregii iuuenes*, qui nihil doctrinis amabilius, nihil virtute pulchrius esse satis intelligitis. Vos, qui optimis litteris iam estis dediti, doctissimorum preceptorum exemplis admoniti, ipsa denique natura ac ductu recta rationis impulsi; vos, inquam, oportet ad academias non alter quam necessariis scientiis instructos accedere, vt tum academia, tum et vos commoda exinde sentiatis maxima.

OPTARE M equidem, vt in nostro quoque lyceo omnia illa bonarum artium principia traherentur, quæ in academiis aliquando debetis addiscere, vt e. g. inter illas disciplinas numero *mathesin* et *physicam experimentalem*, quæ studia magnam utilitatem et iucunditatem secum vehunt; hisce enim animus aliis studiis defessus recreatur, viaque ad detegendas veritates occultas et minus adhuc cognitas panditur amplissima. Hisce augmentis gymnasium nostrum magis magisque effloresceret, et ad padagogii regii, quod Glaucha floret, salutaria instituta propius accederet, et inde adhuc maius commodum ex nostro lyceo in academiam redundaret. Verum nescio, quomodo fiat, vt, quo in commidis litterarum percensendis et examinandis hæreo diutius, eo maiori incommodo laborare videatur mea oratio, cuius vos exitum, AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, tacito a me desiderio, ni fallor, efflagitatis; quare ad id, cuius cauſa hunc locum concendi, accingor.

QVOD itaque felix faustumque esse iubeat summum NVMEN, huic que lyceo salutare,

TE, IOANNEM HEYNIVM, Regiomontanum Francum, plurium, quibus eligendi ius competit, suffragiis electum, et a SENATV ciuitatis amplissimo, huius gymnaſii patrono, vocatum atque confirmatum, eiusdemque autoritate, CORRECTOREM publice pronuntio, et ad munus hoc nouum capeſſendum constituo. Fidelitatem in iuentute instituenda

da in *pædagogio regio Glauchensi* declarasti iam eximiam, et probasti singula-
rem industriam, quam et in hoc TIBI demandato munere TE esse ex-
hibitum, certo nobis persuademus omnes.

TE porro,

IOANNEM GODOFREDVM TAVSTIVM, Giebichensteinsem,
amplissimus SCHOLARCHARVM ordo rite etiam elegit, vt locum
TERTII COLLEGAE occupares, TE electum SENATVS amplissimus
confirmauit. Eum TE exhibuisti in officiis TIBI antea tam in *pædagogio regio*, quam in hoc lyceo concreditis, vt non solum bene de TE spe-
rare, sed etiam confidere possit SENATVS, talem TE etiam in noua
hac parta praefitum, qualem TE in prioribus hactenus cum laude praefisiisti.

TANDEM TE etiam adloquor,

IOANNEM GEORGIVM KIRCHNERVM, Hallensem;
TE SCHOLARCHARVM ordo non per plurima, sed *per omnia suffragia* elegit, SENATVSque amplissimus confirmauit. TVA eru-
ditionis specimen nobis non incognita, omnem fidelitatem et dexteritatem in
iuentute instruenda TE adhibiturum, nobis promittunt.

CORONIDIS loco hoc vnicum adhucdum superaddere, necessarium du-
xi, quod mihi de beato KRAVLIO, et VOBIS, illius successoribus, TAVSTO
et KIRCHNERO nempe, inopinato quidem, sed non ita temere in men-
tem venit, quod scilicet non sine aliquo omniue id VOBIS iam contingat,
vt eodem plane ordine, quo vir beate defunctus sua munera scholastica suc-
cessive adgressus est, eidem et vos nunc ambo etiam succedatis. Notum
enim est, ipsum per duo lustra officio collega quarti primum in hoc lyceo
perfusum esse, antequam in locum collega tertii adscenderit, in quo offi-
cio usque ad beatum obitum permanxit. TV, TAVSTI, per septem an-
nos tenuisti spartam collega quarti, et nunc tertii locum occupas, atque ita
pie defuncto viro in vtraque statione; TV vero, KIRCHNERE, iam
locum collega quarti tenebis, atque sic eidem in primo, quod obtinuit, mu-
nere succedis. Parem ergo quoque adhibete industriam, et omni conatu
animum vestrum eo dirigite, vt *ipsi* in omnibus actionibus et toto vitæ cursu
exæcta fias similes. Vterque *ipsum* in viuis vt præceptorem venerati es, si-
facitote ergo, vt *eum* etiam adhuc post obitum seu quotidianum præcepto-
rem agnoscat. Toti enim nostræ ciuitati optime notum est, quod vir omni
laude maior existenter: nam siue eximiam eius eruditionem, siue sinceram
pietatem, siue temperantiam singularem, siue constantiam animi in perfe-
rendis laboribus, siue indefessum studium eius in erudienda iuentute spe-
cificis, in singulis eius iam allegatis et adhuc plurimis virtutibus reperiens perfe-
ctissimum exemplar, ad quod vitam vestram instituere valeatis. Quod si
igitur

igitur et vos in hisce omnibus beato præceptorí et antecessori vestro pares et similes fieri studueritis, ac parem cum ipso fidelitatem, parem industriam, parem dexteritatem, paremque animi ardorem et constantiam in erudiend a iuuentute scholastica et promouendis gymnasii huius commodis adhibueritis, non parua exinde in totam rem publicam et academiam quoque redundabit utilitas, nec minor VOBISMET IPSIS remanebit laus et gloria.

FINIMVS itaque sermonem hunc nostrum, sed legitimate eum finire non valemus, nisi cum eo, qui Alpha est et Omega, initium et finis omnium rerum. Quare in laudes tuas, o ter sanctissimum NVMEN, quemadmodum totius vite nostra institutum, ita præfens quoque oratio nostra fese resolut.

LAVDAMVS te, xterne DEVS, qui habitas in sublimi, qui in glo-
rioso maiestatis tuae folio resides, et e sanctissima hac sede tua nos humi re-
pentes infantulos tuos, qui nil nisi cinis et puluis sumus, gratia tua respicis,
qui ipse condidisti scholas et ordinasti eum in finem, vt officinæ Spiritus
sancti essent, in quibus iuuentus ad vite sanctitatem et genuinam sapien-
tiam præpararetur, vt seminaria essent, ex quibus viri pii, docti, tuique
nominis amantes, ac ecclesiæ et reipublicæ maxime viiles prodirent. Tua
folius gratia et paterna prouidentia atque misericordia factum est, vt cele-
bre hoc sapientiae sacrarium in hunc vsque diem sartum tecumque perman-
ferit. Conferua et protege illud ulterius, benignissime PATER, omnes-
que in eo docentes ac discentes Spiritu tuo sanctissimo reple, vt illi iuuen-
tutem sibi concreditam ad nominis tui gloriam in optimis artibus et linguis
erudiant, et, quod præcipuum est, ad veram pietatem ac summam reveren-
tiam erga te adiuuant; bi vero, vt non nisi ea, quæ sunt recta, pia, honesta,
ipisque maxime salutaria, addiscere cupiant, et in id vnicē incubant,
vt aliquando reipublicæ ac ecclesiæ saluberrima possint præstare officia.
Conferua serenissimum ac potentissimum REGEM nostrum, patrem
patriæ clementissimum, quo sub umbra ac tutela illius etiam hoc lyceum
nostrum floreat, augmentisque crescat felicissimus. Protege SENATVM
huius ciuitatis amplissimum, lycei huius nutritorem, vt et collegium Do-
minorum SCHOLARCHARVM spectatissimum, curasque omnes salu-
tares, quas in sustentationem et conseruationem GYMNASII huius impen-
dunt, omnigena prosperitate et felicitate ipsis remunera. Idem benignissi-
sum NVMEN vt laboribus etiam vestris, iuuenes optimi, paterna sua
benedictione adesse velit, quo in nominis sui gloriam ac totius reipublicæ
emolummentum cedant, est, quod nos omnes ex toto animo

precamur et exoptamus.

D I X I.

¶):(o): (¶

Farbkarte #13



B.I.G.

ORATIO IN AVGVRALIS
DE
DIS EX GYMNASIO
IN
AM REDVNDANTIBVS,
IN
ODVCTIONE
LLEMNI
ORIS, TERTII ET QVARTI
ARVM GYMNASII HALLENSIS,
NIMIRVM
NNIS HEYNII,
GODOFREDI TAVSTII,
ET
GEORGII KIRCHNERI,
V APRILIS, CIOIO CC XXXVI
ORIO PRIMAE CLASSIS
PVBLICE HABITA
A
AVGVSTO TENZELIO,
SENATVS AC CIVITATIS HALLENSIS SYNDICO,
GYMNASII SCHOLARCHA.